

71713

DIATRIBE THEOLOGICA

De

ANTICHRISTO

ROMANO INFEN-

SISSIMO CHRISTI ECCLE-

SIAE HOSTE.

QUAM

SUPREMI RECTORIS S.S. TRINITATIS

AUXILIO

In florentissima ad Albim Academia

PRÆSIDE VIRO

Plurimum Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo

DN. ANDREA KUNADO,

S.S. THEOL. D. & P.P. Ecclesiastici Consistorii Ad-

sessore dignissimo, Electoralium Alumnorum Ephoro

gravissimo, & Theol. Facult. p. t. Decano spe-

ctatissimo.

Dn. Patrono, Fautore atque Præceptore suo omni

pietatis affectu ætatem prosequendo

Publico φιλοθεολογῶντων examini

proponit

ANDREAS Witmann/Neo-Brandenburgô-

Meckelnburgicus Respondens.

In Atrio Majori ad d. Jul.

WITTEBERGÆ,

TYPIS JOHANNIS HAKEN, M DC LIX.

14.

a. LXVI. 13.

Ill. diss. A
13

ANTHONY
2 TO ROYALTY OF THE
SACRED

SUBSTITUTIONS
OF THE

BY THE
OF THE

AND READS
OF THE

OF THE





כש שמי

Præfatio.



Erta quædam signa atque κριτήρια adven-
 tum Christi ad iudicium præcessura esse,
 docent sacrarum literarū pandectæ. Cùm
 verò illa signa Leonhardus *Cogveys in*
Commentar. ad Augustinum de C. D. divi-
 dat in signa Communis & propria, non
 immeritò ad hæc refertur revelatio An-
 tiChristi, quam Theandri istius B. Lu-
 theri beneficio esse factam novissimis hisce temporibus, li-
 quidò constat ex eventu vaticiniis propheticis atq; apostoli-
 eis respondente. Nam talis eventus à Propheta Dan. c. 12. 1. &
 4. requiritur, conferri quoq; potest c. 28. v. 9. apud Jeremiam.
 Huic nostræ sententiæ admodum refragantur Lojolitæ vino
 Babylonice meretricis inebriati, *vid. Bell. 13. de Pontif. Rom. c.*
4. & quidem ideò, ut eò melius à Romani Episcopi cervice
 exosum AntiChristi nomen averruncet. Enimverò quàm
 graviter molestèq; ferant, quòd Pontifex Romanus pronun-
 cietur Antichristus, istud testatur Colloquium Ratisbonen-
 se, in quo propterea colloquium fuit abruptum. Sess. 13. Et
 modò citatus Cardinalis eodem lib. c. 1. multis argumentis de-
 monstrare satagit, Pontificem R. non esse Antichristum. Ve-
 rùm enim verò nos, licet ipsi rumpantur ilia Papæ, paucis su-
 mus probaturi ex Dei verbo verissimo, quod nomen Anti-
 Christi nemini rectius possit imponi ac tribui quàm ficto Pe-
 tri Successori, quòdque hic sit Antichristus in Sacris literis
 prædictus. Faxit autem Deus ter Opt. ter Max. ut in veritate
 sua sanctificati nihil scribamus nihilque ori nostro excidat ni-
 si quod nobis in Verbo suo de hoc infensissimo veræ Ecclesiæ
 hoste atq; persecutore truculentissimo revelavit; Scimus enim
 sermonem suum esse veritatem. Sit itaque σ. θ.

A 2

THESES

THESIS I.

NOs hac vice acturi de Magno atque eximio illo Anti-Christo, quem tempore N. T. Spiritus S. prænunciavit, operæ pretium fore putamus, si prius, quàm ipsam rem aggrediamur, de *AntiChristi* nomine loco *περὶ ἀποκαλύψεως* breviter quædam fuerimus præfati.

II. Vocabulum *AntiChristi* est origine Græcum; jure tamen Civitatis Romanæ donatum, constans ex præpositione *ἀντί*, quæ extra compositionem non denotat *contra* seu *adversus*; Sed saltem in ipsa compositione, uti hoc observat *Clariss. ille Philologus B. Glassius in Grammat. Sacr. l. 3. tract. 6. can. 15. p. 782.* & ex nomine Dei proprio, quo dicitur *χριστός* seu *Christus*. Hinc videmus toto cælo errare illos, qui teste *Hipponensi Episcopo D. Augustino Tom. 9. tract. 3. in Epist. Job.* hanc vocem ob linguæ græcæ ignorantiam ex latinâ particulâ *ante* & nomine *Christi* componunt autumantes Antichristum hac appellatione in Sacro codice venire, ideò quòd ante Christum fit venturus. At rectius explicatur ita, quòd denotet non tantum adversarium, qui Christo & in vita & in doctrina inque ipsissimo regimine contrariatur: Sed & vicarium, qui loco Christi sese obtrudit ecclesiæ. Et licet posterior hæc explicatio *Pontificiorum Primipilo Bellarm. l. 3. de Rom. Pont. c. 1.* minimè sit ad palatum, qui sibi persuasum habet, præpositionem *ἀντί* nunquam substitutionem significare; Nihilominus tamen iste metus est frustraneus. Nam loca possunt dari quàm plurima, in quibus vox *ἀντί* non oppositionis sed vicariæ rationis vim habeat tam extra compositionem ut *Matth. 5. 35. ὁ σαλμὴν ἀντί ὁ σαλμὴν.* conf. *Luc. 11. v. 11. Rom. 12. 17.* quàm in compositione ut *ἀντιπρόσωπος* Proconsul act. 13. 7. conf. c. 18. 12. & 19. 38. Plura exempla qui desiderat, consulat supra laudatum *Glassium* *idem libr. tract. 5. can. p. m. 781. & can. 19. p. 789.* Ut & *B. Meisnerum in Philos. Sobria part. secund. sect. 1. c. 2. quest. 6. p. 221. & 222. & alios.*

III. Ne verò Andabatarum more pugnemus, removenda sunt *τὰ μὴ ζητούμενα*, ut eò meliùs cognoscatur, in quoniam

car-

cardo controversiæ vertatur. Est enim vocabulum AntiChristi unum ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων s. vox Homonymica, quæ ut ab Æquivocatione errorum genetrice liberetur, est necesse. Sumitur a. vocabulum AntiChristi in sacris literis bifariam vel generaliter s. latè vel Specialiter s. strictè. Generaliter s. latè sumtum denotat eum, qui sese Christo maximè in doctrinâ opponit, eundemque abnegat, vel in personâ vel in officio. Talis fuit Ebion, & Cerinthus adversus quos stylum stringere coactus fuit D. Johannes i. epist. 2. v. 18. ubi in hoc significato usurpatur. Ut & in 2. epist. v. 7. In eodem quoque sensu Arius appellatur Antichristus apud Socratem l. i. hist. Eccles. c. 13. multosque alios hæreticos orthodoxi Patres dixerunt Antichristos. Specialiter s. strictè usurpatum significat insignem illum atque eximium perditionis Filium, quem gentium Doctor 2. Thess. 2. v. 3. nomine ἀντικείμενον insignit, quique sedens in Ecclesiâ Dei præ cæteris omnibus Christum in membris suis maximè sit persecuturus, regnumque ejus vastaturus horribiliter. Sic i. Joh. 2. v. 18. dicitur: *Audistis, quod Antichristus ille sit venturus.* Ubi Johannes loquitur de eo Antichristo, quem Paulus 2. Thess. 2. v. 3. 4. 9. 11. 12. pluribus describit.

IV. Præterea quoque notandum est, quod Antichristus posteriori significato statuatur vel Orientalis seu extra Ecclesiæ pomeria; vel Occidentalis seu in in ipso Ecclesiæ gremio sedens. Orientalis à Propheta Ezechiele c. 38. v. 2. & sequentibus & à D. Johanne in Apocalypsi c. 20. v. 7. & 8. appellatur Gog & Magog quamvis harum vocum variæ dentur Interpretationes. Nam D. Hieronymus per Gog & Magog intelligit Corporis voluptates, ac quævis peccata, Augustinus verò Tyrannos reliquosque Christianorum hostes. Quid? quòd ipsi Muhammedani miram atque anilem fabulam hîc fingentes in Corani sui Azoara s. cap. 3. Gog & Magog explicent per decem tribus Israelis, quas Alexander Magnus monti Tauro Caspiisque montibus incluserit hac lege atque conditione, ne prius, quàm Judæorum redemptio esset facta ab illo Messîâ, quem hodiernum frustra expectant, inde exirent, magnoque damno

afficerent Christianos : Nihilominus tamen nomina hæc
rectè tribui genti Muhammedanæ probant nostrates Theolo-
gi 1. *Ex Etymologia Vocis*, quia אֵימָא apud Hebræos significat te-
ctum & אֵימָא idem est, quod sine tecto, hinc juxta explicati-
onē B. Lutheri Gog & Magog denotāt virū tecti sive talē homi-
nē, qui nusquā certā domum ac sedem habet, sed hinc inde
vagans loco domicilii tecto utitur ac tabernaculo. Quum
verò constet, Turcos origine esse Scythas, qui incertis sedi-
bus vagantes in campis habitant. Hinc *Venusinus Poëta*
1. od. 35. *Scythas vocat profugos* & 1. 3. od. 24. canit ita :

Campestres melius Scythæ

(Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos)

Vivunt &c.

idem quoque inuere cupientes Græci ἀμαξιοβίος & οὐκλι-
τας eosdem appellitare solent. Et huc respicere vocem *Tur-*
ca seu *Türk* vel juxta Muhammedanorum pronunciationem,
Türk sive *Jürk* pastorem vagabundum significantem non-
nulli scribunt. Vid. Joh. Leunclavius *Musel*, hist. 1. 2. f. 89. &
D. Georgius Mylius conc. 1. de *Turcâ* fol. 6. & 7. alii tamen
aliam hujus nominis etymologiam dant atque explicationē.
Consul. M. Georg. Herlitz. in tract. de *Turc. regn. interitu* c. 1.
2. Ex descriptione Ezech. cap. 38. v. 1. 2. seq. quàm bellè autem
Saracenis illa conveniat, multis demonstrat. Salom. Gesnerus
D. in conc. 1. super cap. 38. & 39. de *Turca* : qui videti pot-
est. *Occidentalis verò describitur* à Dan. c. 11. 36. & seq. & 2. *Thess.*
2. v. 3. & seq. *Apocal. c. 13. & 17. & 18.* De hoc impræsentiarum
nos disquirimus.

V. Adsignantur a. ei in *Scripturâ Sacrà* varix *Appellatio-*
nes. Enimverò modò dicitur *Filius perditionis*, 2. *Thess.* 2. v. 3. eò
quòd sua impietate est perditus & perdens, modò *Homo pec-*
cati ibid. quia non tantùm omnis generis sceleribus semet i-
psum polluit, sed & aliis ad peccandum fores latisimè aperit.
Mox vocatur Rex Aquilonis. Dan. 11. v. 40. tum quòd in *Sacris*
litteris proverbialis locutio sit illud : *Ab Aquilone omne malum*
veni-

Venire. Jerem. i. v. 14. & c. 4. 6. tum quod Rex Babylonio-
riorum, qui exercitum in Judæam ex plaga mundi aquilonari
s. septentrionali duxisse perhibetur teste Lyrâ in cap. 4. Je-
rem. fuerit typus Antichristi. Et quæ sunt aliæ appellationes
Synonymicæ, quibus Scriptura S. Antichristum insignit.

VI. Hisce prælibatis nunc rectâ progredimur ad rem i-
psam & quærimus: *Quisnam sit iste Antichristus?* In primiti-
vâ Ecclesia reperti fuerunt Patres nonnulli statuentes ipsum
Diabolum futurum esse Antichristum, atque eodem modo, quo
Filius Dei, carnem humanam assumpturum; quam opinionem
amplexi sunt D. Hippolytus & Theodoretus. Lactantius verò
& cum eo pauci alii putârunt, Antichristum fore quendam
malo Spiritu genitum. Sulpitius & Ambrosius infensissimum
Christianorum hostem Cajum Neronem, qui in hanc vitam
esset rediturus, Antichristum appellarunt. Plerique tamen
Judæum futurum existimant, oriundum ex tribu Dan, na-
sciturum Babylone ex impurâ muliere, omni magiâ & veno-
ficio plenum. Quam sententiam Pontificii quoque sequun-
tur communiter nisi quod eam Bell. T. 8. l. 3. c. II. rejicit &
explodit. Cum a. hæc omnia sint ἀτομα & παράδοξα; meritò
illa valere jubemus.

VI. Quod nostram de Antichristo κατ' ἐξοχὴν ita dicto
sententiam concernit, eum esse nullum alium quàm *Pontifi-
cem R.* dicimus. Id quod immotis sacrarum literarum funda-
mentis, indubiisque Prophetarum & Apostolorum vaticiniis
cum eventu collatis evincimus ac demonstramus. Argumen-
tum autem nostrum est tale: *Cuicunque omnes istæ notæ genui-
næ, quæ Scriptura S. magno atq; eximio illi Antichristo tribuit, com-
petunt, ille est Antichristus κατ' ἐξοχὴν ita dictus. Atqui Papa R. o-
mnes istæ notæ genuinæ, quæ Scriptura Sacra magno atq; eximio illi
Antichristo tribuit cōpetunt. E. Papa R. est Antichristus κατ' ἐξοχὴν i-
ta dictus. Cū major in Solis mēsâ sit posita, & minor probationis
luce indigeat propter ipsos adversarios intellectū tenebris ob-
curatum habentes, idcirco lumen illi erit afferendum. Ante-
quam verò id fiat, bene notari volumus, quòd nos ex Notis
istis,*

istis, quas apud Prophetam Danielem, Apostolum Paulum & D. Johannem invenimus, non singulatim, sed simul sumtis argumentemur. Neque per Papam Romanum hic unum hominem singularem intelligimus; sed ἀνδραγον ἀνάστατον, ut Philosophus loquitur, seu totam seriem Pontificum R præsertim qui inde à tempore Gregorii M. Romæ sederunt. Porrò & hoc observandum est, nobis magni AntiChristi nomine non venire solum illum, qui Antichristi doctrinam saltem tuetur ut Defensor, sed qui ipse etiam doctrinam Antichristo propriam proponit ac docet & toti Mundo obtrudit & contradicentes hostiliter persequitur.

*Nota I.
Fastus &
ambitio.*

VII. Sit igitur *Prima nota Fastus & Ambitio.* Dan. II. 36. *Et faciet juxta voluntatem suam Rex; & elevabitur, & magnificabitur adversus omnem Deum.* 2. Thess. 2. 4. *effertur adversus omnem, qui dicitur Deus, aut numen adeo ut in templo Dei sedeat, ostentans seipsum esse DEUM.* Conf. Apocal. 9. v. 2. & 2. c. 13. II. Quibus in locis prænunciatum est, Antichristum tam in foro ecclesiastico quam in politico sibi dominatum ac principatum arrogaturum. Quod verò Papa R. hoc faciat, satis patet ex praxi quotidiana, atque historicâ experientiâ. Nam in jure Canonico sibi divinos titulos, honores & potestatem tribuit in universam ecclesiam & in omnes Reges ac Principes. Sic c. *satis evidenter dist. 96. dicitur Deus inter homines, ex quo dependet Salus omnium c. Si Papa dist. 40. Jesu Christi vicarius. c. inter corporalia. Item Christus Domini, Episcopus totius orbis, Ecclesie Rector, Princeps Principum & Dominus dominantium & Deus in terris, qui cum eo idem facit consistorium.* Porrò quod habeat voluntatem pro ratione ita ut nullus hominum audeat dicere: *Papa quid facis? quodq; sicut aurum excellit plumbum; Sic dignitas Papæ excedat imperialem. Et sicut Luna recipit Lumen à Sole, ita imperialis dignitas à Papa dependet.* Hinc Imperatores Reges, & Principes sibi subesse putat, adversus quos fulmine excommunicationis uti non dubitavit, nisi ad ipsius arbitrium viverent. Exempla sunt in propatulo. Sic Gregorius III. Leonem Imperatorem anathematis vinculo innodavit teste Cuspiniano. Lau

no. Laurentius Banck de tyrann. Papæ c. 18. docet, quod Gregorius VII. Boleslaum Polonia Regem excommunicatum regio nomine ita privavit, ut longo tempore post regium nomen non sit auditum in Polonia. E gremio ecclesie Fridericum Barbarossam exclusit Alexander III. cui equum ascendenti strepam tenuit Imperator postmodum, & jussu Pontificis prostratus ad pedes ipsius veniam petiit supplex; Tunc verò Papa alterum pedem cervici Imperatoris imposuit dicens: Super aspidem & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. vid: Lehman. in Chronic. Spir. l. 5. c. 56. Zeiler. centur. 3. epist. 5. 6. 7. Sed hisce nondum contentus Papa suam præminentiam non tantum angelis, quibus præcipere posse gloriatur, anteferre dubitat, verum & ipsi DEO, quem solummodo sibi parem esse dicit recitante Hunnio, in artic. de Ecclesia. ubi reperies quam plurima hujus farine. Ex quibus fanè omnibus est cernere, quàm superbum, ac quàm ambitiosum animal sit Episcopus R. Et licet Servum Servorum (cujus appellationis primus autor creditur Gregorius M.) sese appellet; re ipsa tamen esse cupit Dominus Dominorum juxta illud:

*Servierant tibi Romæ prius Domini Dominorum,
Servorum servi nunc tibi sunt Domini.*

Quod & Cornelius Agrippa ipsemet confessus est his verbis: Omnium admirabilium admirationem hoc vincit, quod nostri Sacerdotes. iisdem mediis se in cælum ascendere posse putant, quibus olim decidit Lucifer. Laurent. Banck c. 11. de Tyrannide Papæ.

II X. *Secunda nota est Sedes, quæ gemina in Scriptura invenitur altera generalis, altera Specialis. Generalis est Ecclesia. 2. Thess. 2. v. 4. Sedet in templo Dei i. e. in Ecclesia. Nam ita solet Spiritus S. Ecclesiam vocare ut 1. Cor. 3. v. 16. & 17. An nescitis, quod templum Dei estis; Templum Dei Sanctum est, quod estis vos. conf. Ephes. 2. 22. 1. Tim. 3. v. 15. & alibi. Errat igitur Bellarminus Ecclesiam nunquam vocari templum DEI existimans, Sed perpetuò templum Hierosolymitanum intelligi, cum tamen istud ita sit dirutum atque incendio absumentum, ut nunquam restaurari nec reedificari debeat, sed ejus deso-*

*Nota 3.
Sedes*

generalis

B

latio

latio ad finem mundi usque fit perseveratura. Esa. 25. v. 2. Jerem. 19. 11. Dan. 9. 27. uti & horum oraculorum veritatem ipse eventus comprobavit attestante Eusebio lib. 4. hist. Eccles. Sozom. l. 5. c. 22. Theodor. l. 3. hist. c. 17. Niceph. l. 10. c. 32. Neque Cardinalis errori patrocinator verbum *Sedere*, quod Paulus 2. Thess. 2. v. 4. adhibet; Nam istud non notat h. l. situm corporis; sed, juxta phrasin Scripturæ, Dominium ac regimen, sicuti id clarum est ex collatione locorum Scripturæ. Psalm. 9. v. 5. Ps. 29. v. 10. Ps. 110. v. 1. cum 1. Cor. 15. v. 25. ubi $\tau\theta$ sedere expressè declaratur per regnare. vide etiam Jerem. 22. v. 2. Zach. 6. 12. Apoc. 17. 1. & 15. c. 18. v. 7. Quid? quod ipsi Papicolæ subinnuere cupientes quamdiu quisque Pontificum fuerit Papa, hac sedendi voce utantur in sermone hoc vulgato: *Sedit tot annis &c.*

Specialis.

IX. *Specialis est Urbs Roma*, quæ à Johanne modo vocatur *SODOMA & Ægyptus* Apoc. 11. v. 8. modo *Babylon* Apoc. 17. 5. & quidem non propriè, sed mysticè s. spiritualiter. Hanc verò nostram assertionem probamus exinde, quia Johannes c. 17. Apocal. v. 3. dicit, quod *Mulierem* [i. e. urbem illam magnam v. 18.] *bestiæ septem capita & decem cornua habenti viderit insidentem*. Jam verò Bestia decem cornibus insignis interprete Prophetâ Daniele c. 7. v. 24. est quarta illa Monarchia, nempe Romana, cujus caput atque sedes imperialis extitit *Roma*, quæ κατ' ἐξοχήν urbs est nominata, & fuit, ut Justinianus ait, *Sola Civitas*. Hinc de illa Poëtarum princeps ita canit ecl. 1.

— *hæc tantum alias inter caput extulit urbes,*

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Nulla enim urbs alia, tam longè latèque dominabatur, quàm Urbs Roma, hæc quasi *totius imperii Regina*, & Cicerone teste, *arx fuit omnium gentium*. Capita verò ista septem, quibus mulier insidere dicitur, sunt juxta explicationem Johannis, nihil aliud, quàm septem isti montes, quibus fuit superstructa Roma, uti id notum est ex profanis autoribus. Virg. l. 2. *Georg.* & 6. *Æneid.* Horat. l. 1. *Epod. carm. secul. ult.* Claud. in *Panegyri.* Ovid. l. 1. *hist. eleg. 4.* Propert. l. 3. *eleg. 10. de Roma.* Varro l. 5. *de Latin. Ling.* Plin.

Plin. l. 5. c. 5. Plutarch. in problem. Rom. Non igitur possumus approbare Stapletoni sententiam, qua statuit, Babylonem hinc sumi pro toto imperio impiorum hominum ecclesiam Dei ab initio persequentium. Cui sententiæ etiam favent August. in Ps. 61. & l. 20. c. 9. de C. O. & Ambrosius. Nec Bellarminus rem acu tangit scribens, per Babylonem intelligi illam civitatem quæ sita est in Chaldæa; quia hæc urbs prius, quam Johannes suam viderit Apocalypsin, est desolata ac devastata sicuti Esaias, Jeremias, Ezechiel, cæterique Prophetæ prædixerunt. A veritate quoque alieni sunt illi qui Babylonis nomen accipiunt pro civitate Ægyptiacâ, quæ hodiè Cairus dicitur, olim verò Babylon appellata fuit, quia hæc non fuit adeo celebris. Hinc solent Autores eam ne oppidi quidem nomine dignari, sed vocant saltem Castellum, Strab. l. 17. Neque hinc appellatione Babylonis denotatur Urbs Hierosolyma; eam enim nunquam iri reedificatum in præced. th. ostendimus. Manet itaque firma nostra sententia, quòd sedes Antichristi sit Urbs Roma & quidem non Ethnica sed Christiana.

X. Tertia nota est doctrina genus. Hoc à Daniel. c. ii. v. 36. & 37. depingitur h. m. Adversus Deum Deorum ingentia est locutus, nec curaturus amorem mulierum, Deumq; suum Mausim cultur & Paulus 1. Timoth. 4. v. 3. scribit quod AntiChristus sit prohibiturus contrahere matrimonium & jussurus abstinere à cibis. Quàm verè autem hæc omnia quadrent in Pontificem Rom. docent scripta ac praxis Romanensium. Nam Scripturam S. Θεότατοςον multas proscindit calumniis vocans eandem imperfectam, ambiguum, obscuram, literam mortuam, plumbeam regulam & nasentem cereum. Dicit se posse dispensare contra V. T. & contra canones Apostolorum, ex possibilibus posse facere impossibilia, sibi fas esse immutare Sacramenta. Quàm insignis fuerit blasphemus Julius III. P. R. constat ex Balæo in Julio IIX. l. i. Ille enim rogatus, ne de pavone surrepto tanquam de levi causa tantopere excandesceret, dixit: si unius pomi esu DEUS tantopere offensus est, ut propterea primos Parentes nostros è paradiso ejecerit; annon mihi vicario Dei injuria surrepti pavonis meritò displicebit. Cum inter pavonem & pomum

3. Nota.
Doctrina.

blasphemia.

B a

munus

*Prohibitio
matrimo-
nii.*

*Prohibitio
ciborum.*

*Idolola-
tria.*

*miu[m] maximum inter sit. Clemens Septimus & Leo X. historiam
de Christi vitâ fabulam de Christo appellarunt. Laterus l. 1. de cen-
su Paulus III. fuit irrisor verbi divini. Nam morti vicinus
dixit: Nunc experior duo, de quibus toto vitæ tempore dubitavi
nempe an anima immortalis? & an sit infernus? Nonne hoc est
adversus Deum os suum deducere, & in faciem illius blasphemias
evomere? Quod non curet amorem mulierum, & matrimo-
nium contrahere prohibeat monstratur ex eo, quando clericis
conjugii usum interdicit, & docet illud esse opus carnale.
Quapropter eidem impurum suum concubinatum præfert
præstare putans, si Sacerdos centum alat concubinas, quam
si unam ducat uxorem. Franc. Coster. in Enchirid. Cont. c.
19. de cælib. Sacerd. p. 566. scribit: Sacerdos si fornicetur aut do-
mi concubinam foveat, tamen si gravi sacrilegio se obstringat, gravius
tamen peccat si contrahat matrimonium. Porro sub necessita-
te cultus divini Papam R. cibos prohibere ciborumq[ue] certos dies
sancire comprobat jejunium Papistarum quadragesimale, in
quo tamen Papa maximè diffluit luxu & libidinibus. Hoc do-
ma non immeritò dicitur *διδασκαλία διαμονίων*. I. Timoth. 4.
v. 1. Non potest quoque negare Pontif. R. se colere DEUM
Mausim (i.e. Deum præsidiorum, in quem collocat omnem
spem ac fiduciâ; Nā *יְיָ* est à singulari *יְיָ* robur ac præ-
sidiu[m], quo quis nititur, radix est *יְיָ* vel *יְיָ* confirmavit; Undè
Psalm. 27. v. 1. Deus dicitur *יְיָ* robur ac præsidium. Davi-
dis) Enimverò lippis ac tonsoribus notum istud Missæ ponti-
ficiæ idolum, quod divino planè modo colitur per horribi-
lem *ἀρτολατρείαν*. Siquidem in hujus honorem multæ haben-
tur processiones, altaria atque templa ædificantur, celebran-
tur festa, genua curvantur, atque sic propitiationem pro pec-
catis, nec non temporalem atque æternam salutem expectant
Papicolæ. Quare de hac missa Pontificii adulescentes scribunt,
illam esse completam tost mysteriis, quot mare guttis, cælum empyre-
um Angelis, firmamentum stellis, Sol atomis, & terra arenis. D.
Philipp. Nicolai de regno Christi l. 1. c. 7. p. 214.*

XI. Quar.

XI. *Quarta nota est affectatio miraculorum & quidem mendacium.* 2. Thefl. 2. v. 9. Apoc. 13. v. 13. Jam vero Papa, de tot ac tantis gloriatur miraculis ut, si ista miracula quæ in sacris literis leguntur, connumerentur, vix centesimam efficient partem eorum, quæ jactantur à Papistis in Legendâ Sanctorum Lombardicâ, in Libris conformitatum Franciscanorum, & in epistolis Japonicis. Unde & Bellarminus l. 4. c. 14. de Ecclesia, miracula ista constituit certam ecclesiæ notam. Et Costerus in Enchiridio c. 2. de Eceles. p. 99. ex miraculorum perpetratione Ecclesiæ suæ sanctitatem conatur demonstrare. E contrario nobis objiciunt miraculorum defectum, & exinde nostram ecclesiam religionemque in dubium vocant. Verùm cum nostra doctrina non sit nova, sed eadem cum doctrina Christi & Apostolorum, qui sat multis miraculis illam confirmarunt, dicimus cum D. Augustino l. 22. de C. D. c. 8. Possem dicere necessaria fuisse miracula, priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet. Quisquis autem adhuc prodigia, ut credat, requirit, magnum est ipse prodigiū, qui mūdo credēte nō credat. Licet itaq; Pontificii adhuc longē plura jactare possent miracula ac prodigia, quæ magna essent in oculis hominum; manent tamen mendacia atque fallacia, partim quia in fraudem veritatis conficta sunt, partim quia, ut edita virtute Satanae, ad stabilienda mendacissima AntiChristi dogmata unicè sunt directa. Huc pertinet quoque *Mysterium iniquitatis* 2. Thefl. 2. v. 7. & 9, quod nihil aliud est quam splendor fictæ Sanctimonix, quo tanquam fascino hominum oculos perstringit AntiChristus; Quod verò & Papa ejusmodi sanctitatis speciem præ se ferat, ostendunt hypocritica mendacia de confictione dogmatum: De efficacia atque lustralis, de sanctitate & veneratione traditionum &c. Vide Excell. D. Hulsemannum in breviar. Theol. c. 22. de AntiChr. th. 2.

XII. *Quinta nota est opum abundantia & negotiatio* Apoc. 18. à v. 11. usque ad 20. Dan. 11. v. 34. Quàm maximas verò opes atque divitias, ex omnibus istis regnis atque provinciis, quæ

B 3

Papam

4. *Nota.*
Miracula.

Mysteriū |
iniquitatis.

5. *Nota*
opum ab-
undantia
& negoti-
atio.

Papam caput agnoscunt per fasque nefasque corradat, docet
Conradi Celtis querimonia :

Quicquid in extremis habuit Germania terris

Et mediis quicquid continet illa plagis,

Exhaustum est totum, Latias migravit in arces,

Expleat ut luxus impia Roma tuos.

Franciscus Albanus scribit *Papam singulis horis consequi mille coronatos*. Censum lactis ultra 30000. coronatorum fiscum papalem annuatim augere refert Laurent. Banck de Tyrann. Papæ. Quantus igitur sit numerus meretricum Romanarum, facile quis potest assequi conjecturâ. Nam anno 1655. factâ diligenti inquisitione 24000. meretrices inventas esse recenset Corn. Agrippa c. 64. de vanitate Scientiarum. Taceo jam *questuosam nundinationem misfarum, Indulgentiarum, palliorum, jubilæorum, aliarumq; rerum fermè innumerabilium*. In summa, nullum est adulterium, nullum homicidium, nulla usura, furtum, Simonia, rapina atque crimen adeo sceleratum, à quo Pontifex R. flagitiosissimos accepto ære non absolvat. Nisi autem tanti fuissent Pontificum quæstus, nunquam Johannes XXII. post mortem reliquisset 250. auri tonnas. Hinc dixit Bapt. Mantuanus:

— — — — *Sunt venalia nobis*

Templa, Sacerdotes, altaria, Sacra, Corona,

Ignis, thura, preces, cælum est venale, Deusquè.

Et quidam Monachus nomine Johannes:

Curia vult Marcas, bursas exhaurit & arcas,

Si bursa parcas, fuge Papas & Patriarchas,

Si dederis marcas, & eis impleveris arcas,

Culpâ solvêris, quâq; ligatus eris.

Rectè itaque dixit Brigitta, Papam decem præcepta Dei in hoc unum commutasse: *Da pecuniam*. Lanf. in consult. Banck de Tyran. Pap. c. 9.

XIII. Sexta nota est crudelis persecutio. Apoc. 9. 11. c. 13. v. 15. c. 16. v. 6. c. 18. v. 24. Hanc autem Romano Episcopo convenire, docent Hispanicæ inquisitiones, praxes Italicæ; lanienæ


*6. Nota Cru-
delis perse-
cutio.*

enæ Gallicæ, proditio Anglica, exilia & bella germanica. Hinc nonnulli supputarunt, quod intra 30. annos & quod excurrit, i. e. ab illo tempore, quo primum orta est Societas Jesu, ad annum usque 1580. in Hispania, Gallia, Italia, Anglia & Belgio ob veritatis evangelicæ confessionē 960000. homines crudeliter fuisse occisos. De hisce legatur Catalogus testium veritatis.

XIV. Hæ sunt præcipuæ AntiChristi notæ, quibus Scriptura S. eundem depingere atque delineare voluit. Has verò omnes in Papa R. esse impletas, breviter ad oculos est demonstratum. Quamobrem meritò Pontificem R. agnoscimus Antichristum. Unica nota adhuc superest implenda, nempe, *Antichristi everfio atq; destructio*. 2. Thesl. 2. v. 8. quam piis votis adhuc expetimus, & seriis animorum gemitibus expectamus usque ad gloriosum & illustrem Christi adventum.

XV. Coronidis loco quæritur, *quid de numero nominis 666 conficiente in Apoc. Joh. c. 13. v. 18. sit habendum?* Quod si principium istius versus intueamur, ad hoc responsum fuit ab ipso Johanne his verbis: *ὡς εἶπεν ἡ σοφία ἐστίν.* Quibus nihil aliud voluit innuere, quàm quòd in hoc numerali nomine singulare quoddam lateat mysterium, ut ita hac in parte de isto numero apodicticam scientiam vix possimus obtinere. Interim tamen sunt nonnulli, quorum supputandi ratio videtur probabilis. Sic Irenæus l. 5. advers. hæref. hunc numerum quærit in vocabulis græcis *λατρεῖν*, *εὐάνδρας* & *τρίταν*, singulatim sumtis, quorum literæ constituunt numerum *χξς* s. 666, quia Antichristus futurus esset Latinus, pro Titane sole in Ecclesia cupit haberi, & benè floret. Hæc optimè quadrant in Papam R. uti notum est. Hinc alii hunc numerum in voce Hebraica *רומי* (Romana) & in binis græcis: *ἐκκλησία ἰταλικά* invenerunt; idemque ex eo voluerunt probare. Chytræus ad annum Christi 666, circa quem Bonifacius III. à Phocâ Cæsaricida titulū Episcopi universalis impetravit, hunc numerum refert. Ista verò supputandi ratio, quæ ex
litca

literis Eberinis quorundam priorum & quidē corrupto-
rum nominum v. g. Martin Lauter, Davidis Chytræi alio-
rumque, numerus iste elicitur, est saltem ridicula, merusque
ingenii lusus atque abusus. Sed nos concludentes carmen
istud triumphale ex Apoc. 19. v. 1. intonamus: *Alleluja,*
Salus & gloria & honor & potentia Deo nostro.
Amen.



Ad Clariss.

DN. RESPONDENTEM,

Quis AntiChristum liceat dignoscere signis
Hoc tua Vitmanni docta apodixis habet.
Qui quondam Romæ supremus Episcopus esse
Visus erat, nunc est proh dolor Arctolytus
Monstrum horrendum ingens! Fugite ex Babele fideles,
Quis cura & cordi Vita salusq; sua est.

Ως Οὐρανός


ANDR. KUNADI D. PP.

Cum, WITMANNE, colas constanti pectore Chri-
stum,

In ejus hostes arma fortiter moves.
Laudibus hinc justis tantos ad sidera tollens
Ausus, ut amplas auferat prædas, precor.

*Hisce paucis Pereximio ac Præstantissi-
mo Dno. Respondenti Amico ac Popu-
lari suo singulariter dilecto gra-
tulatur*

Zacharias Grapius, SS. Th. Stud.



Coll. diss. A. 66, mix. 13